

liose detrahentem ad singulare certamen in foro provocavit, et coram Friderico Barbarossa imperatore levi vulnere, quod in brachio acceperat, efferatus prostravit, ac deditionem facere nolentem, cum duellum Cæsar dirimi jussisset, Cæsari dono dedit. Quare Cæsar eum et equitem et comitem in ipso creavit vestigio, anno 1165, Bernard. Scanleonus, lib. III. classe XIII. hist. Pat. Clamat de cælo Christus: *Mihi vindicta; dimittite, et dimittimini. Mihi inimicum tuum dona; et tu Deo hoc non præstabis? Fratres Josephi ut veniam dilecti sui in eum admissi impetrarent, allegarunt preces patris sui, ut saltem ejus amore veniam eis daret (Genes. ult.) nec difficulter impetrarunt. Quanto plus valere debet deprecatio injuriæ, quæ sit amore Christi patris omnium communis et supremi imperatoris nostri?*

II. Amore proximi tui, qua ratione Joannes bibit venenum amore ingentis populi convertendi. Bibere tu, et dimitte injuriam inimico propter eos, quorum ille frater est; qui proinde dolent, si vindictam de illo sumas: quomodo servi illi qui viderunt conservum male tractari et suffocari atque in vincula conjici a conservo ob exiguum debitum centum denariorum: *Contristati sunt valde et narraverunt domino suo omnia, Matth. XVIII.* Tu ergo si non remittis injuriam inimico, quia inimicus tuus est, dimitte ei, quia proximorum tuorum amicus eisque charus est, qui pro illo supplicat, et vehementer gaudent atque ædificantur, si injurias condones aut patienti animo feras. Unde enim putamus tam repente conversum in cruce latronem alterum? Tenebræ primum hora sexta cæperunt, Christus autem paulo ante sextam crucifixus fuit, et tunc pro inimicis oravit, tuncque probris Judæorum impetitus fuit: prodigia alia mortem Christi primum secuta sunt. Ergo non nisi et patientia Christi, qua: *Cum pateretur, non comminabatur; cum malediceretur, non maledicebat; et ex Christi verbo, quo liberalissime condonavit et condonari petiit injurias inimicis suis, conversum esse dicendum est, uti sentiunt Theophylactus et Euthymius. Plura hujus rei exempla habemus. Agilius monachus, S. Columbanus abbas discipulus, cum manum arefactam percussori suo precibus restituisset, Theodorici regem, ad quem ibat, abbati suo Columbanus iratum. antequam adisset, fama miraculi et facti heroci prævolante, placavit; ita ut quem ille dudum a monasterio expulerat, protinus revocaret. Igitur in Agilio patientiæ virtus manum alterius male affectam sanavit, regis iram extinxit, abbatem in gratiam reduxit, Marulus, lib. V. c. II. Nec minus memorabile, quod in vita s. p. Francisci Xaverii, lib. IV. cap. VI. scribit Tursellinus*

de patre Ferdinando, socio Xaverii in Japonica expeditione: eo concionante in publico, Japonem accessisse, et collectam in ore salivam in os concionantis conjecisse. Eam contumeliam, cum ille adeo patienter tulisset, ut nihil omnino commotus, abstersa linteo facie, institutum perrexerit sermonem, tantæ miraculo patientiæ motus quidam in concione, in animum induxit, a viris tanta virtute præditis non posse religionem nisi sanctam afferri, sicque ad Franciscum veniens, primus omnium in Japonia conversus est; cujus exemplum alii deinceps secuti sunt.

III. Amore inimici tui; quemadmodum et Joannes amore Aristodemi, idolorum pontificis, qui ei poculum propinarat, id exhibuit. Sed forte dices: Quid? Amore inimici verbera commeruit et odium, non amorem, inquit. Noli ita loqui, nec *secundum faciem judicare, sed justum judicium judica.* Considera primo, ipsum esse, licet non amicum tuum, Christianum tamen et unctum Domini in baptismo et confirmatione, adeoque membrum Christi. Audi quid responderit David militibus suis, quando deprehendit Saulem inimicum suum, vitæ suæ insidiantem. Cum enim illi suaderent ut vindicaret tandem injurias suas, hostemque interficeret; nequaquam acquievit, sed oram tantum chlamidis ejus absceidit, quam post a longe ei monstravit, clamans: *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca; et cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus (unctus) Domini est, I. Reg. XXIV.* Hic ego te interrogo: Quomodo pepercit Sauli oculus David, et non potius manus seu gladius David? Manus et gladius nihil vident, oculus autem videt. Vidit ergo oculus Davidis in Saule duas quasi personas, inimicum, et christum, seu unctum Domini: et quia hæc primaria erat, propter hanc pepercit alteri. Magis enim attendit ad christum Domini, quam ad inimicum. Idem tu quoque cogita. Habes inimicum, qui tibi injurius est; cogita eundem etiam esse christum, seu unctum Domini, Christianum scilicet inunctum, adeoque membrum Christi. Si ergo non ignoscis ut inimico, ignosce ut inuncto. Unctio Christiani longe nobilior est unctione regis, quia imprimis characterem et gratiam. Considera inimicum tuum in perturbatione esse, et a malo genio misere exagitatum, contra te incitari. Vidit hoc Sanctus Martinus episcopus in discipulo suo Bricio, ipsum videlicet a duobus demonibus clamantibus ad ipsum: *Eia te Brici, eia te Brici,* concitari et agitari furis ad obtrectandum sibi; cui et mox Bricius quasi furibundus occur-

rit, probris eum onerans. Itaque vir sanctus commiseratione, non iracundia motus, blande et comiter eum excepit, ac suavibus verbis sedavit, ut in ejus vita, 11. nov. Idem faciunt demones adversario tuo, quod fecerunt Bricio: igitur amore et commiseratione ejus, amorem potius quam odium repende. In demone exere iram tuam, qui inimicum tuum vexat. Unde Sanctus Hieronymus, in Psalm. LXXI. « Si te impius, ait, persequitur, scito, quia equus est, eques autem diabolus: iste enim currit, hic lancea sua percussit: iste ducitur calcibus, et invitatus insanit, hic agit et stimulat. » Equi igitur irascendum, equo condolendum. Alconem, auctor est Victor. lib. XVI. cap. VIII. quod etiam refert Val. Flaccus, lib. I. Argonaut. insignem sagittarium fuisse, qui cum aliquando filium vidisset, serpente ex arbore delapso circumdatum, sumpto arcu sagittaque, tam bene ictum collimavit, ut, nihil læso puero, serpentem interemerit. Dæmon incitans contra te inimicum tuum, serpens iste est, qui stringit et inflamat illum odio. Ipse ergo jaculo petendus et odio habendus est; non misellus homo, qui serpentis veneno ad iram inflammatur.

Considera eum, qui nunc inimicus est, posse fieri amicum tuum. Hoc argumento suadet S. Paulus Philemoni, ut recipiat servum suum Onesimum in gratiam, et ignoscat illi, quod in ipsum deliquit, cum ab ejus servitio discedens, aliquid convastavit, quod ipsius domini erat; illum enim, qui fuit ei aliquando inutilis, futurum aliquando inutilem, in epist. ad Philem. « Obsecro te, inquit, pro meo filio quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, quem remisi tibi: » et infra: « Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me: si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa. »

IV. Amore tui. Sic enim et Joannes, quia olim a Christo intellexit, se ad ejus dextram aut sinistram non sessurum, nisi calicem ejus bibisset, utique etiam amore sui, ut Christi dextera potiretur, ebibat calicem illum venenatum. Ergo vel idcirco etiam dimitte injurias tibi illatas, ne tibi gravius noceas; quod videtur voluisse docere Sapiens, Ecclesiasticus, cap. XXX. cum ait: *Miseræ animæ tuæ placens Deo, et contine,* quasi diceret: Contine manum a vindicta injuriæ, ut ne lædas animam tuam peccato mortifero; sed ignosce, ut placeas Deo. Certe S. Bernardinus Sennens. ord. S. Francisci, serm. XV. quadr. testatur, anno 1419. se in monte Calvarie (erat enim missus Jerosolymam a ministro ordinis, ut esset ibi minister terræ sanctæ, ut in ejus vita

habetur) vidisse mulierem, quæ in infinita hominum turba ab adolescente quodam leviter impulsam et humi prostratam, juveni veniam flexis genibus junctisque manibus roganti pertinaciter negavit. Sed in præmium coram omnibus a malo demone abrepta et in puteum est projecta. Quomodo enim non summe displicuisse Deo potuit, quæ tam levem defensam in eo loco, ubi Christus gravissimas injurias inimicis suis condonavit, noluit condonare? Ergo quia amore Christi, proximi inimici sui noluit bibere caliculum amarum, dejecta est in puteum, ut exhauriret puteum inferni, sulphure et pice ardentem. Quare nisi tu dimiseris, gravius longe tibi ipsi, quam inimico nocebis: expectat enim te puteus inferni.

Ad extremum bibamus tales injurias amore S. Joannis; qui delatus ad ecclesiam, identidem inculcabat suis discipulis Christi mandatum: *Filioli, diligite alterutrum, quia præceptum Domini est: et si solum fiat, sufficit.* Dic ergo cum Christo: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Arripi eum cum Joanne, et intrepidus exhauri. Proderit non oberit: Christo gloriam, proximo exemplum, inimico gratiam, tibi pariet coronam.

CONCIO III.

QUI CUM JOANNE PRÆCIPUE DILECTI A CHRISTO.

Multi vocantur Joannis nomine. — I. Qui ab ineunte ætate Deo serviunt. — II. Qui student castitati. — III. Qui animose contra vitia certant.

THEMA.

Vidit discipulum illum, quem diligebat Jesus.

Joan. ult.

Nihil vulgatius est nomine Joannis, adeo ut si quis alterius nomen nesciat, appellet eum Joannem; quia nullum nomen communius. Unde hoc? Num quia dilectus Christi fuit? Num quia familiaris et in sinu ejus recubuit? Num quia Joannes significat gratiosum Deo? Quidquid horum sit, jure merito amatur et ambitur istud nomen. Sed quid juvat nomen, nisi adsit res? Non enim omnes sunt Joannes, qui vocantur Joannes, ut scribit S. Joannes Chrysostomus, homil. LII. in Acta. *Nomen habere principis, inquit, non est esse principem. Vocantur et alii Joannes, sed non propter nomen sunt id, quod vocantur. Quemadmodum et ego, licet eodem quo ille vocor nomine, non tamen una et eadem cum illo res vocabulo vocer, non sum Joannes, sed vocor Joannes.* Quam puto esse causam, quod Joannes nullibi in evangelio

suum nomen addat, sed discipulum, quem diligebat Jesus, vel qui in sinu ejus recubuit, se appellet, ut rem potius quam nomen Joannis nobis commendat. Quare multo magis laborandum ut simus, quam ut vocemur, Joannes; ut simus, inquam gratiosi Deo, dilecti Christi, et qui in sinu ejus recumbere mereamur. Sed qui tales erimus? Videamus.

I. Qui volunt esse veri Joannes, Christo maxime dilecti, ab ineunte mox ætate Deo serviant, quemadmodum et Joannes, qui pene adhuc puer a Christo est vocatus, ut scribit S. Hieron. lib. V. contra Jovinian. Esse autem Deo gratiores, qui a teneris ei serviunt, non difficile ostendi potest. Quis enim nescit plenum vino dolium gratius esse donum, quam si fæx vini donetur? Et ut vinum in fundo acescit, ita et hominis ætas in fine morosa, segnis, pertæsa et molesta est. « Quemadmodum ex amphora, ait Seneca, epist. C. primum quod est, sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit: sic in ætate nostra quod est optimum, primum est. » Rursum, nonne servus juvenis, vegetus, robustus, gratior tibi est sene et exhausto, qui in juventute alteri labores suos locavit? Hinc in v. t. toties pro sacrificio petuntur et præscribuntur juvenula animalia, vituli, agni, anniculi, pulli columbarum, Levit. I. et XII. quia significabant juvenes Dei jugum amplectentes, quando adhuc multos sibi annos promittere possunt, quando laborum feraces, quando peccare possunt, et peccata dimittunt potius, quam dimittantur ab illis, quando jugum Domini diu et facile portare possunt sine molestia ac murmuratione. Hinc Thren. III. dicitur: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, quia levavit super se, (sic legendum) sedebit solitarius et tacebit.* Cum quis gravem sarcinam ferre vult, maxime laborat initio, donec eam super humeros aut caput attollat, v. g. fasciculum feni aut lignorum, ubi sustulerit, facile gestat. Vult ergo dicere Jeremias, qui a teneris Deo serviunt, jam sustulisse onus in humeros; proinde absque difficultate gestare: alios autem, qui tarde servire Deo incipiunt, valde laborare, quasi semper attollendo. Unde Arabicus Antiochenus ita eum textum explicat: *Quia jam imposuit sibi jugum suum, hic non eget alieno auxilio, sed alter, qui attollit.*

II. Qui volunt esse veri Joannes, Christo dilectissimi, castissimos se præbeant, quemadmodum et Joannes, qui virgo semper fuit ac mansit, teste S. Hieronym. aliisque nec corpore tantum, sed et mente; ita ut nullam unquam impuram cogitationem in cor ascendere permisit, ut scribit Euthymius, in cap. XXI. Joan. Et propterea ei

tamquam virgini Matrem virginem commendavit in cruce Dominus. Esse autem virgines corde et corpore castas, Christo dilectissimas, discere ex Sapiente, Prov. XXII. possumus; ait enim: *Qui diligit cordis munditiam, amicum habebit regem, utique Christum, omnis puritatis fontem; qui, qua Deus, est purissimus, ab omni mixtione alienissimus; qua homo, est Matris virginis purissimæ Filius purissimus, virginitatis speculum et summus amator, adeo ut in collegio suo non tolerarit ullam impuritatem; licet toleraret aliquamdiu vitia alia, murmurationis, contentionis, ambitionis, furti. Videmus elementa, quo cælo viciniora, eo esse puriora atque clariora. Terra omnium remotissima et obscurissima est, quia maxime mixta et impura, designans matrimonium. Aqua ex natura sua cælo vicinior et clarior, quia purior, etsi a terra fæces etiam contrahat, designans vidualem statum a prægresso matrimonio nonnihil inquinatum. Aer adhuc vicinior, unde clarior quia purior aqua, designans virginalem statum secundum corpus. Obscuratur tamen et ipse a pulveribus ac muscis cogitationum fædarum, quæ inquinant aliquantum virgines aliquas. Ignis omnium vicinissimus, adeoque clarissimus, quia etiam purissimus, nihil patitur impuri, sed omnia absumit, omniaque purificat. Et hic est status virginum corpore et animo, cælo, id est, Christo maxime vicinus, similis ac dilectus. Hinc Apocalyp. XIV. dicuntur virgines: *Primitiæ Dei et Agni, id est, selectissimi fructus: ad hæc: Stare super montem, ubi aura est purissima: rursum: Sequi Agnum quocumque ierit, id est, tam esse gratæ, ut nunquam ab ejus latere discedant; denique: Canere canticum citharædorum in citharis suis, id est, Deum laudare corporis et animi puritate. Grata est vox boni cantoris, sed gratior, si is cum vocali cantu pulset testudinem aut citharam. Cithara virginum corpus est, castitate concinnatum, spiritui correspondens. Qui voce simul et cithara canit, gratum Christo carmen accinit. Confirmat idem exemplo Sanctus Emericus filius Sancti Stephani Hungariæ regis, qui Vesprinii semel ædem D. Georgii noctu ingressus cum uno tantum amanuensi, ibi precatus est Deum, ut intelligeret quid præstare posset, quod ei maxime placeret. Ad hoc ædes repente divinis splendore repletur, et vox auditur: Nil, Emerice, virginitate gratius Deo futurum putes. Ergo auxilium a Deo precatus, eam Deo promisit; patris quidem voluntati cedere volens, uxorem duxit, sed pari virginitatis amore accensam, ac cum eadem in virginitate vixit; cui brevi extincto ipsa testimonium virginitatis edens, per amanuensem id comprobavit,**

Bonfin. lib. I. dec. II. Idem cum a patre ad monasterium Sancti Martini profectus et præmissus monachos salutaret, aliis duo, aliis quatuor, aliis quibusdam septem oscula dedit: de hoc interrogatus a patre, respondit, pro conditione castitatis eos se salutasse, et quos septies osculatus esset, perpetuam virginitatem servasse; qualis inter alios erat Maurus, post ad Quinquæcclesiensem episcopatum ab eo promotus, Bonfin. ibid. Joannes Apocalyp. XIV. ait virgines habere nomen Agni scriptum in frontibus suis. Quid mirum ergo si S. Emericus dignovit virgines a non virginibus? Qua de causa forte etiam solus Joannes in navi, Christum stantem in litore, utpote virgo virginem agnovit, Joan. XXI.

III. Qui volunt esse veri Joannes, animose Deo serviant, et tentationibus se opponant, non timide, non tepide. Fecit hoc Joannes, qui solus ex apostolis Christo crucifixo inter frementes et furibundos inimicos adstitit. Unde etiam probabile fit, quod S. Hieronymus scribit in epitaphio Marcellæ: « Joannes propter generis nobilitatem erat notus pontifici, et Judæorum insidias non timebat in tantum, ut Petrum introduceret in atrium, et staret solus apostolorum ante crucem: » licet Augustinus et quidam alii de hoc dubitent. Quod si non fuit causa, notitia pontificis (quod facile mihi persuadeo) cur ad crucem staret; certe animi magnitudo causa esse debuit. Petrus vero, quia timide et a longe sequebatur Christum, trepideque intravit atrium, mox dejectus tentatione, Christum negavit: Joannem, quasi cum auctoritate ingressum, interrogare nemo ausus est. Scribit P. Sanchez, in tr. de regno Dei, et ipsemet observavi, vespertilio noctu in templis insidiari lampadi, indeque oleum sugere, si non ardeat lampas; si vero ardeat, attingere id non audent, quia nimis calet: pari modo vespertilio noctu tartarei tepidos et frigidus aggrediuntur, et paulatim exsugunt suis tentationibus, ferventes et cordatos non item. Frigebat Petrus non solum corpore, sed etiam animo, dum in atrio Caiphæ moraretur. Hinc eum adortus est stygius vespertilio per os ancillæ, et gratiæ humorem ipsi exsuxit, atque ad negandum magis ac magis impulit; contra Joannem, ardentem amore Christi et cordatum, aggredi non est ausus. De Ludovico conjugæ Sanctæ Elisabethæ, Thuringiæ Landgravio scribitur in vita Elisabethæ eum, cum mane aliquando prodiens, lineis tantum indutus, obvium haberet leonem e cavea elapsam, pugno elevato viriliter increpuisse, adeoque terruisse, ut mox prostratus cauda ei blandiretur instar canis: qui tamen postea accensis facibus vix in caveam retractus fuit. Sane

V. PARS FESTIVALIS.

si Ludovicus timidum se monstrasset, non dubium, quin a leone invasus et laceratus fuisset. Tanti est cordatum se præbere! Neque solum erga bestias, sed etiam erga dæmonem ejusque consiliarios; quod idem Ludovicus sequenti facto præstitit. Cum enim aliquando de fenestra choreas spectaret, et videns in ea puellam pulchram, formam ejus laudaret, quidam aulicus spondet se eam adducturum ipsi, quin et substraturum. Quod audiens Ludovicus, vehementer iratus: *Obmutesce, ait, et nunquam deinceps talia meis auribus inferas, si velis mea gratia et amicitia frui.* Confusus ille obmutuit tremens. Combussit profecto os suum iste vespertilio. Sic igitur, auditores, ferventer et animose tentationibus obviate, *resistite diabolo, et fugiet a vobis, Jac. IV. Fecerunt hoc septem illi fratres Macchabæi ab Antiocho jussi contra legem patriam porcinas carnes comedere. Primus dixit: Quid quæritis, et quid vultis? Discedite a nobis; parati sumus potius mori, etc. secundus ait: Non faciam, etc. septimus, isque natu minimus: Quem sustinetis? Non obedio mandato regis, etc. II. Macch. VII. Fecerunt hoc illi sub umbra veteris legis: quid nos facere decet in luce evangelii? Quare, auditores, conemur esse veri Joannes; et qui adhuc tam sublimem gradum et propinquitatem Christi ascendere nequeunt, curent saltem prope accedere, non differendo ulterius penitentiam conjugati, servando exacte castitatem, saltem conjugalem, viduæ vidualem: omnem denique fortiter et animose resistendo tentationibus ipsisque tentatoribus.*

CONCIO IV

SITIS EBRIOSORUM POCULO BENEDICTO EXTINGUITUR.

Septem benedictiones vel maledictiones ebrietatis. — I. Benedictionem dant ebriis compositores. — II. Hospes seu caupo. — III. Spectatores. — IV. Uxores. — V. Vinum ipsum. — VI. Magistratus. — VII. Deus vindex.

THEMA.

Domine, quis est, qui tradet te? Joann. XXI.

Maximo semper in odio apud homines fuere proditores; ii tamen multo maxime, qui proprios prodidere dominos. Hujusmodi proditor est vinum immoderate sumptum; quod non alium, sed sui ipsius potatorem prodit, et in manus hostium tradit. Multa hujus rei documenta sunt. Quid, nisi ebrietas tradidit Holofernem in manus Judithæ? Judith. XIII. Quid, nisi vinum tradidit Balthasarem in manus regis Persarum? Dan. V. Simonem Macchabæum, I. Macch. ultimo? Sacæ,

bellicosi populi, Cyrum, Persarum regem fortissimum, cum exercitu fugarunt: sed dum in ejus castris vino se ingurgitant, Cyrus reversus vinolentos opprimit et ad interuiccionem cedit; cuius rei memoriam, annuo festo celebravit, Strabo, lib. XI. Idem aliis integris exercitiis non semel contigit. Pessimus igitur proditor est ebrietas, et ipsi Judæ similis, qui proprium Dominum tradidit. Quid igitur faciemus huic traditori? Qua ratione, quibus modis sitim vini extinguemus? De S. Willebrordo episcopo Trajectensi, scribit Albinus Flaccus, in ejus vita, apud Surium, 6. nov. virum quemdam sancti contemptorem, divinitus mulctatum siti continua, quam nulla vis medicorum restinguere in eo poterat, ab ipso demum s. episcopo sanatum esse, propinato calice benedicto. Bene est: solet hodie benedici vinum in honorem S. Joannis. Demus ergo sitibundis illis potatoribus benedictionis calicem, si forte sit spes reducendi eos ad temperantiam. Erit autem benedictio, qualis subinde in sacris litteris usurpatur, sumpta pro maledictione.

I. Primam benedictionem dant ebriosis compotatores. Hi enim suis propinationibus, et ut vocant, benedictionibus, stimulando potatorem, dant ei maledictionem pro benedictione; dum vino eum sopiunt ac sepeliunt, sicque rationis usu et Dei gratia spoliant. Prædones dicendi potius, quam amici vel socii, qui præstantissima duo bona, quæ habet homo a Deo et natura, ipsi, specie amicitia, subtrahunt. Quadrat in illos, quod Matth. VIII. Dominus dixit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Ubi terrarum hoc sit? In compotationibus, ubi ebriosis ebriosos poculis, sepeliunt et obruunt vino: sicut mortui dum sepeliuntur, obruuntur terra. Constitentur hoc ipsimet suo loquendi modo, quo se alios vino operire dicunt. Cum enim vident aliquem strenue sine mora expedire pocula, omnes ei propinant, ut cito eum sepeliant, quomodo deposito in sepulcrum cadavere, omnes circumstantes terram injiciunt: ad extremum vero jam inebriato propinant benedictionem S. Joannis, quasi rem valde piam, sicut cadaveri terra jam obruto affigi solet crux. Qua de re S. Aug. serm. CCXXXII. de temp. queritur dicens: « Illud vero quale est, quod, jam transacto convivio, expleta siti, cum amplius bibere nec possint nec debeant, tunc quasi novelli, quasi et qui ipsa hora supervenerint, diversis nominibus incipiunt bibere, non solum vivorum hominum, sed etiam angelorum et reliquorum antiquorum sanctorum; existimantes quod maximum illis honorem impendant, si se in illorum nominibus nimia ebrietate

sepeliant; ignorant quod nullus tam gravem injuriam vel ss. angelis vel ss. hominibus agnoscitur irrogare, quam illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suas animas probantur occidere. »

II. Secundam dat eis hospes seu caupo. Primo, quia caro pretio vinum eis vendit: secundo, quia sæpius cum ipsis haurit, non ex suis, seu potatorum poculis: tertio, quia cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est pro optimo, et dilutum pro meraci, eodem pretio apponit. Quandoque etiam plus æquo in tabella scribit aut computat. Hoccine non est benedicere vinum ebriis? Ipsi potatores sero sapientes dicunt subinde: Ea quomodo hic caupo nobis benedixit vinum. Sic uno die bibunt multorum dierum labores, ait S. Ambros. lib. de elemosyna et jejuniis, cap. XII. sic contingit, quod Isaias capit. XXVIII. de ipsis ait: *Absorpti sunt a vino*. Quomodo absorpti, qui vinum absorberunt? Quia, dum ipsi vinum sorbent, vinum interim eorum substantiam absorbet. Arotanus piscis, quem gignit Arotan fluvius Zeilani, ultro capi se permittit, sed damno capientis; nam mox febris eum corripit, nec desinit morbus, donec piscis dimittatur, Nic. Corr. in fin. apud Caussin, in symb. l. VIII. c. XVII. Ita quoque vinum facile se insinuat, et hauriri patitur: sed furientem febris corripit, ut qui paulo ante calebat in bonis et bene suffultis vestibus, postea frigeat in tenuibus et laceris. Contigit id Gallia Atheniensi comico, ex thesauro invento, ditissimo, qui cum opes suas vino absorbuisset, victus penuria laborans, coactus est mediis hiemis frigoribus pene nudus incedere. Unde dicitur in eum jactum: *Hic a vino deplumatum est*, Athenæus, l. XII. c. XVII. et alii.

Quid, quod etiam ebriosis subinde, dum extra se sunt, deplumantur a furunculis et crumenicidibus? Certe Dionysius senior impunes voluit esse fures, qui compotatoribus vestes sublegerunt, Alex. l. VI.

III. Tertiam dant spectatores, dum vident eos titubantes ambulare per plateas vel succolari et abduci domum. Rident eos pueri, et in Italia luto ac lapidibus impetunt: Hispani a testimoniis ferendis reprobant, veluti perditæ fidei homines. Quid quod imperatores etiam, si hoc vitio laborant, convicia plebis non evadunt? Phocas imp. cum eo die, quo ludi equestres peragebantur, incedendo et bibendo modum excessisset, a plebe per ignominiam verbis illis notatus fuit: *Rursus e caneo bibisti, rursus mentem amisisti!* Glycas, IV. p. annal. Byzant. Zenoni orientis imperatori, quod per ebrietatem mentem sæpius abalienare-

tur, plebs exprobrabat illo scommata: *Zeno, exurge: iterum potasti?* Zonaras, annal. III. Imo nec ipse Noe, tantus Dei amicus, cum per ignorantiam vini potentia inebriatus fuisset, a derisione immunis esse potuit: a proprio enim filio illusus est, et quidem domi, in tabernaculo suo, Genes. IX. Quid si in publico jacuisset ebrius? Permisit autem hanc ignominiam viro sancto Deus, ut fædum ebrietatis vitium detestemur, utpote multorum dedecorum causam. Diximus etiam alibi, quanto Christianorum probro Sinam Bassa superioribus annis captos e milite nostro non pabcos sultano suo per ludibrium et ebrietatis opprobriationem Constantinopoli cum vitris, aleis et chartis obtulerit, ex Serario, in capite XV. Judith. Et mirandum sane est, quod cum ebrietas tormentum quoddam sit miserabile aspectu, nullius tamen compassionem, sed derisionem potius sortiat. Causam esse reor, quia ut S. Basilius, homil. in ebrietatem, ait: *Ebrietas est dæmon voluntarius*. Obsessis, dum a dæmone vexantur, jure condolemus, quia inviti et coacti, ac quandoque sine culpa id patiuntur: et ebrii ebrietatis dæmonem ad suam torturam sponte hospitio excipiunt. Quis talibus condoleat? Quis non illudat potius.

IV. Quartam dant communiter uxores ebriosorum, quando mariti vino madidi deducuntur domum. Contingit sæpe ut conjux virum a taberna vel convivio reduceam expectet usque ad multam noctem. Quas interim iras non coquet? Quæ tela in ipsum non parabit? Is ubi tandem redierit, quæ fulmina, quæ tonitrua non audiet? Hæc uxoris benedictio est. Talem ab uxore sua Abigail, et jure quidem, accepit ille Nabal, cum nondum adhuc ebrietate torperet, sed ubi crapulam edormiit et sensum recepit. Indicavit enim ipsi quanto pridie in periculo fuisset, quomodo David jam accinxisset se ad delendam ejus domum usque ad interuiccionem, ut ne cani quidem parere vellet. Vulneravit enim hæc narratio adeo cor ejus, ut *emortuum sit intrinsecus*, et ipse factus sit quasi lapis, I. Reg. XXV. Qualis hæc benedictio, quæ maritum vertit in lapidem! Cumque decem diebus hoc stupore laboraret, percussit illum Dominus nova maledictione, morte videlicet. Funestior adhuc fuit maledictio, quam dedit Zenoni imp. uxor Ariadne. Is enim, quod ebrietati adeo deditus esset, ut plerumque mente penitus alienaretur, et nihil a mortuo differret, adeoque ab uxore propterea ferri non posset, aliquando mero plenus velut moribundus jussu Ariadne illatus est in sepulcrum, ingenti lapide superimposito. Qui ubi discussa ebrietate evigilavit, magnos edidit mugitus et clamores,

audientibus custodibus, nemine tamen operiferente, ex mandato Ariadne; sicque miser interiit, Codren. et Cuspin. in Zenone.

V. Quintam dat ipsum vinum, quod simul ac immodice potatum est, potatorem capitis dolore, nausea, vomitu, tremore: quo modo in septentrionalibus regionibus ponderosus malleus alvearibus impendens, industria venatorum, ursos venientes et alveare diripientes tundit supra caput, quod valde debile habent. Quid enim aliud rependit vinum, dulce præsertim aut potens, suo potatori? Hinc Sanctus Basilius, homil. l. de jejuniis ait: *Famulus profugit ab hero verberante; tu vero non recedis a vino, quod quotidie contundit caput tuum*. Quid, quod ipsi amantes amentiam hanc deprehendant! Notum arbitror illud Petri Berenhauti, stulti faceti, qui Philippo Hassia landgravio, de capitis dolore ex hesterno mero conquerenti, præsentaneum se remedium communicare posse dixit. Data fandi copia: Hesternam hodierna pellito crapula, inquit. Tum princeps: At crastino die gravius laborabo. Ingurgitates ergo te denuo, ait. Quid perendie? Iterum. Quid prostridie? Idem. Et quis tandem erit finis? Ad hoc stultus: *Ut tandem meum similibus, stultus evadas*. Sic nimirum ebriosis vel a stultis erudiri et confundi queunt. Justo Dei judicio bona, quæ in commodum nostrum creavit, si eis abutamur, vertuntur nobis in pœnam et flagella, ut fiant nostri tortores. Hinc tempestates, quæ in frugum proventum alioquin ordinatæ sunt, fiunt nobis carnifices et vastatores, mactant agros et vineas, quia vino abutimur: sicque pro benedictione dant maledictionem, pruina, grandinem, frigora, inundationes, ariditates.

VI. Sextam dant quandoque magistratus, puniendo nimios ebriosorum excessus, et jure quidem. Nam imprimis certum est, etiam jure gentium damnatum fuisse ebrietatem. Solon ejus delictum morte punivit: Pittacus delinquentem in ebrietate duplici pœna affecit: Carolus M. imp. ebriosum jussit submergi, ut quam vino in se accenderat sitim, aqua restingeret: *Quia, inquit, hic vini perditor meretur non vino, sed aqua sepeliri; ut qui vino se mersit, aqua demersus, sitim suam expleat*, Cornel. a Lap. in cap. XI. Nuz. anno 1512. Colonia in comitiis mandavit imp. Maximilianus, ut ebriosis ab aulis dimittantur, officiis ac muneribus moveantur, dimissi ad famulatum non admittantur; inferioris vero sortis homines corporalibus pœnis subjiciantur. Cardinalis Otho episc. August. anno 1548. in Synodo mandavit, ut ejusmodi potatores: « Qui festis dies aut noctes in tabernis exigunt, post factam confessionem s. communionem priventur per tri-